



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 4. Lutheri asseclæ, nec non Antwerpienses mercatores hoc edicto  
exacerbati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

## §. IV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.*Lutheri affectæ, necnon Antverpienses  
Mercatores hoc edicto exacerbati.*

Hoc edictum equidem ingenti Sedis *Sleidan. l. 6. p. 734.*  
Apostolicæ jubilo excipiebatur, necnon fervens Caroli Cæsaris studium amplissimis deprædicabatur elogiis; illud vero ægerrime ferebant Lutheri Sectatores, qui multos propterea tumultus suscitabant: Cum autem hoc edictum præcipue Flandriæ Provincias peteret, hinc magis adhuc perniciose feditio in Belgio concitabatur, terrore, ac desperatione sese per totam, qua late patet, Regionem diffundente: præcipue vero vehementer attoniti hærebant Germani, Anglique Mercatores, qui ibidem, & potissimum Antverpiæ sedem fixerant: igitur hi non sine maximo hujus urbis dispendio commercium interrumpere statuebant, imo eorum non pauci cum summa indignatione alio migrabant; illi vero, qui adhuc persisterant, aut neglecta negotiationis cura vivebant, aut posthabita boni publici salute, nonnisi propriis suis commodis intenti erant. Tandem tantopere excredebant populi tumultus, ut Hungariæ Regina Belgii Gubernatrix Cæsarem Fratrem suum adire, eum-



Sæcul. XVI. que rogare cogeretur, quatenus edicti  
 A.C. 1530 sui severitatem temperare, ac præci-  
 pue *Inquisitionis* nomen cunctis gentibus  
 adeo exosum delere velit.

## §. V.

*Edictum a Cæsare duntaxat circa ex-  
 teros mitigatum.*

*Sleid. p. 784.* *Thuan. hist.* *lib. 7.* **P**ermolestæ quidem Cæsari acciderant  
 Reginæ propositiones, sui que edi-  
 cti æquitatem ardentè tueri studiosus,  
 nihil in eo innovandum declarabat,  
 tandem vero summis Sororis suæ preci-  
 bus expugnatus illa, quæ ad exteros  
 in hoc edicto spectabant, revocavit, &  
 Inquisitionis nomen aboleri concessit;  
 indigenas tamen omnino huic legi sub-  
 jectos esse voluit, imo etiam, si qui  
 sese eidem oporterent, illos vi ad officii-  
 cium redigi præcepit. Verum hæc ip-  
 sa Cæsaris constantia novis tumultibus  
 fomitem subjecit; Illyricus enim hoc  
 edicto latine reddito impotentibus om-  
 nino furiis in Islebium, atque Agrico-  
 lam debacchabatur, eoquod hi populo  
 persuadere niterentur, hoc edicto nulla-  
 tenus Religionis causam agi. Præte-  
 rea Principes, ac Lutherani Ordines  
 gravem inde indignationem concepe-  
 rant, cumque Imperator quamdam ex-  
 ercitus sui partem Sacramento militiæ  
 fol-